

**Medicus-criticus-astrologus, ex veteribus iatromathematicis productus / [Cornelius Pleier].**

**Contributors**

Pleier, Cornelius, active 1617-1627  
Imbrasius, of Ephesus. Prognostica de decubitu  
Mariscottus, Jacobus Antonius.  
Mordicus, Gulideolus

**Publication/Creation**

Noribergae : Sumptibus & typis Simonis Halbmayeri, 1627.


**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/k9uubtnt>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




PLEIER  
MEDICUS  
CRITICUS  
ASTROL.  
1627









IX

We  
the

B. B.  
The Library of the  
Wellcome Institute for  
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY  
OF  
LONDON  
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

PLEIER, C.



65700/A

~~IX~~ 1

VI<sub>2</sub>

M E  
CRI  
LONDON:  
GORN  
Co  
O  
GLORIA  
Sump  
AN

MEDICUS.

CRITICUS-ASTRO-

MEGGUS,

*veteribus Patromathema-  
ticis productus*

à

CORNELIO PLEIERO

Coburgens, Doctore

Medico.



NORIBERGÆ,

Sumptibus & Typis SIMONIS

HALBMAYERI,

ANNO M. DC. XXVII.

OPUSCULI HUIUS

LIBELLUS PRIMUS continet  
doctrinam de crisi, cum  
Astrologia Hippocratis,  
atq; Galeni:

SECUNDUS docet electionem  
medicamenta, nec nomi-  
venæ sectionem, admi-  
nistrandi:

Ex motu Lunæ syderumq;  
configurationibus.

A D



A D

*Serenissimum Potentissimumque  
Principem ac Dominum,*

**Dn. CHRISTIA-  
NUM MARGHIO-  
nem Brandenburgensem,  
Borussiae, Stetinae, Pomeraniae,  
Cassubiorum, Vandalorum, Silesiae item,  
Grossiae, & Jegerndorffi Ducem, &c. Burgra-  
vium Norimbergensem, & Principem Ru-  
giae, &c. Dominum suum clemen-  
tissimum,**

P R A E F A T I O,



*Greste Proverbium est ;  
Serenissime Princeps, He-  
ros fortissime ; Lectum  
cani sternere magnus la-  
bor. Is enim accubitus*

A 2

huc

huc atq; illuc in gyram vertitur, ut quo collocari debeat ei pulvinar, nemo ferè sciat. Atq; idem profectò de multis etiã hominibus dici haud potest injuria, quibus nimirum nihil rectè fit unquam, ita huc atq; illuc volvuntur, ut quam in partem sint casuri, quidve tandem ex animo velint, itidem sciri nequeat. Nonnulli supercillii severitate, ordinisq; quadam auctoritate, odium in optimas quoq; artes ac scientias conceptum intimis pectoribus fovètes, vel clandestinas susurrant, vel palam evomunt calumnias: eaq; nunc maxime viget aetas, ut major mortaliam pars non aliter quam gallus Aesopicus in sterquilinis suis re-pertos lapillos pretiosos undiq; etiam auro inclusos aut quacunq; ratione ex-politos negligant, imò derideant.

O miseras hominum mentes, ô pectora caeca!  
Qualibus in tenebris vitae quantisq; periculis  
Degitur hoc ævi, quodumq; est?

Tales precipuè sunt, qui, livore quo-  
dam

dam moti, deq; semet ipsis multum praesumentes, cum rudi vulgo nihil habent vulgarius atq; communius, quam quod plerunq; acutissimas artes olfacientes minimeq; gustantes, Alchymiam ut profundissimam, ita Astrologiam sublimissimam, non modò nauseabundi formidant, sed etiam extremè rident, imò virulentis calumniis proscindunt, diris devotent atq; execrantur. Verùm cum omnium bonarum artium sint ignari, (nil ultra feros Satyros sapientes) eas quas non noverunt artes, vituperant odioq; habent: cum secundum tritum quoq; proverbium ars non nisi ignorantem habeat osorem. Hi nihil nisi quod ipsi sciunt, sentiunt, dicunt, aut faciunt verum aut rectum esse putant. At homine imperito nunquam quicquam est injustus: & nemo cæcus de coloribus sanè judicare potest. Omnium hominum insulsissimos! ô picas loquaces! ô ranas Ægyptiacas! Optimum ipsis,

non nasci, vel ocysimè aboleri, fuisset,  
 quam liberales, utilissimas, divinasq;  
 artes, inestimabilia DEI dona, beni-  
 gnissimi, petulantissimis impetere oppro-  
 briis. Dimissis ratiunculis, quibus Al-  
 chymia impossibilitatem demonstrare  
 contendunt, facilimè tamen solubilibus,  
 si instituti ratio ferret, hoc saltem re-  
 sponsi habeant istiusmodi homines: cum  
 rerum sensilium proprius sit iudex ipse  
 sensus, ut inquit Zabarell, in explic. Phys.  
 Arist. de p<sup>er</sup>sona n<sup>on</sup> Agv<sup>er</sup>itas esse, alicu-  
 jus rei rationes quarere ac dimittere,  
 ipsos sensus, Arist. 8. Phys. imò insania  
 proximam, contra verum evidentiam  
 opinari, iterum Arist. pronunciantem lib.  
 de ortu ac interitu c. 3. Neq; enim fu-  
 tilis ac plebeia ipsorum objectio ullius est  
 valoris, quando vociferantur se in for-  
 maculis Chymicorum nullum adhuc vi-  
 disse aurum hac arte excoctum: quo-  
 niam improbi, præposteri, ac refractarii  
 hominis est id ceu deliramentum quod-  
 dam

dam ironice irridere, aut obstinate falsitatis arguere, quod non semper & ubique locorum oculis omnium sese conspiciendum exhibet. Ascultentur potius Theobaldum Hoghelindum de Alchym. diff. Si, inquit, in judiciis, ubi de censu & capite, aut fama sive existimatione rerum agitur, duobus aut tribus testibus, tam lege divina quam jure civili sit credendum, quanto magis in arte Chymica usu venire aequum erit, quae rationibus, similitudinibus, exemplis, ac testibus non duobus aut tribus, sed propemodum innumeris vera esse convincitur. Habemus enim doctissimorum virorum scripta, Hermetis, Th. Aquinatis, Lullii, Rupecissa, Arnoldi, Geberi, Alberti Magni, Isaaci, Bacconis, &c. qui omni exceptione majores, Artem hanc transmutatoriam esse verissimam testantur. Cur igitur Viris tam praclaris fidem detrahendam (nihil jam dicam de Nostri saeculi artificibus)



econtra sciolis quibusdam umbratilibusq; Philosophis potius credendum judicabimus? Cum enim de planè ignotis disputent, nec intima natura penetrabilia rimentur, idcirco non mirum, multa quoq; ignota, absurda atq; ridicula ab illis differi atq; concludi, quæ nemo sane mentis ipsi sensui atq; experientia manifesta præferet, sed potius tanquam cæcutientium vana phantasmata, futiles atq; inutiles nasutulorum speculationes, agræq; mentis garrigentium somnia jure merito spernuntur, videntur.

Æ Astrologiam quod attinet, per eam vegetabilium, sensibilibus, rationalium, super-rationaliumq; corporum nobis (ut dici solet) ad unguem causæ, rationes & effectus exprimuntur: Per eam omnium mortalium vita salutiferis præceptis excolitur: Per eam Ecclesiæ, populi, variæq; nationes divino cultui se, emancipantes gubernantur. Qua professione

P R A E F A T I O. 9

fessione nulla facile hac in vita homi-  
 num existit admirabilior. Nec immeri-  
 to, sed jure optimo à majoribus nostris  
 Ars liberalis vocitata fuit: sive quod  
 ab omni ignorantia nubilo studiosorum  
 mentes liberaret; sive quod eam, ut po-  
 te dignissimam, ac nihil in se haben-  
 tem servile, nulli licebat ediscere, nisi  
 libero liberaliterq; educato homini. Imò  
 regia verè ars est, quam Reges olim ac  
 Principes non sine immortalis gloria, nec  
 sine maximo fructu exercuisse constat.  
 Tanto semper in honore apud Magna-  
 tes & quosvis rationales fuit habitata:  
 tanta in ea fuit utilitas, ut sine ipsa nihil  
 divinum sive humanum, nihil inferius  
 sive superius, nihil parvum sive ma-  
 gnum, nihil suave sive asperum cogno-  
 sci aut intelligi penè posset. Atq; nihil  
 profectò etiamnum est inter mortales,  
 quod adeò repente exornet, nobilitet,  
 ac domum Medicum clarum atq; famo-  
 sum reddat, quam hac ipsa Astrologia.

Medicina enim sine favore caelesti, con-  
 fitentibus Hippocrate & Galeno, saepius  
 inanis noxiaque reperitur, & in una con-  
 constellatione administrari potest medicina  
 qua agrum mortificat, qua tamen ipsa  
 in alia constellatione propinata à morte  
 liberat atque exoptatam operationem as-  
 sequitur. Affirmat hoc Avicenna se-  
 cunda primi c. 8. inquiens: secundum  
 res caelestes res terrestres eveniunt, &  
 res quae sequuntur caelestes sunt ea quae  
 stellarum causa accidunt. Eidem sen-  
 tentia adstipulatur etiam Abhomeron  
 Medicus famosissimus, lib. 1. c. 7. de Epi-  
 lepsia dicens: Et sunt in Epilepsia pa-  
 roxysmi sicut in febribus fieri consueve-  
 runt, ex operatione & virtute caele-  
 stium corporum, quae à DEO vivo &  
 vero perfectionem & influentiam habe-  
 re & recipere sciuntur certissime &  
 comprobantur. Audiamus ex multis  
 vel unicum Hippocratem Principem &  
 Patrem Medicina. Is lib. 1. de deata  
 inquit:

inquit : Sed & astrorum ortus & occasus cognoscere oportet, quo mutationes & excessus ciborum ac potuum, & ventorum & totius mundi, ex quibus sanè morbi hominibus oriuntur, observare (Medicus) sciat. Quum enim (idem lib. de arte, aq. & loc.) temporum mutationes & astrorum ortus ac occasus observaverit, quemadmodum singula horum eveniant, prænoscet utiq; & de anno qualis hic sit futurus : hoc namq; modo si quis rimatus fuerit ac præcognoverit temporum mutationes, maxime de singulis sciet, ut plurimumq; sanitatem assequetur, & recta via procedet, non minimâ artis suae gloriâ. Quod si cui hæc sublimiora videntur, is, si ab hac sententia discedat, discet sanè non minimam partem conferre ad rem medicam ipsam Astronomiam, sed omninò plurimam, quum unâ cum temporibus & ventriculi in hominibus mutantur.

Maximè autem observare oportet (idem

iterum d. l.) magnas temporum muta-  
 tiones, ut neq; medicinas in illis liben-  
 tes exhibeamus, neq; uramus, quæ cir-  
 ca ventrem, neque secernam, priusquam  
 prætereant dies decem aut plures, & non  
 pauciores. Periculosissima sunt etiam  
 ambo solstitia, maximè verò æstivum.  
 Periculosum etiã æquinocetium utrum-  
 que, magis vero autumnale. Et ul-  
 terius d. l. Oportet autem & astrorum  
 ortus considerare, præcipuè canis, de-  
 inde Arcturi, & Pleiadum occasum.  
 Morbi enim in his maximè diebus ju-  
 dicantur, aliq; perimunt, alii verò de-  
 sinunt, aut in aliam speciem aliumq;  
 statum transmutantur. In summa:  
 Medici, Philosophi, Astrologi concor-  
 di suffragio videntur partus animalium  
 fœtus, arborum fructus, hominum &  
 pecudum humores, morborum varia-  
 tiones pro ratione lunaris motus, & lu-  
 minis augmento coalescere, maturare,  
 & eniti, ac dies morborum **CRITICOS**  
 pro-

promoveri; nisi materia illius actioni  
subjecta dispositio obstiterit, qua has Lu-  
na, Solis & astrorum omnium actiones  
nonnihil evariat. Quid jam? asper-  
nabimur ne observata ejusmodi erudito-  
rum, quae verè & satis conspicuè, medio-  
critèr animadvertenti, consensiones  
mirandas certarum regionum, gentium,  
temporum, partium, humorum ac tem-  
peramentorum humani corporis cum  
stellis, dissensionesq; , & ipsarum inter  
se stellarum, tam inerrantium quam  
variè circumeuntium concordēs vires,  
adversasve ac repugnantes, demon-  
strant testimoniis suffragiisque constantis  
experientia? At quid multis opus ho-  
minum sive Christianorum sive Ethni-  
corum autoritatibus, ubi caelestis vox  
sapientissimi caeli omniumq; ejus syde-  
rum, sicut & universi orbis terrarum  
conditoris ipsa testis est in principio libri  
Geneseos scripta? Dixit autem Deus:

A 7

&amp; di-

Et dividant diem & noctem, Et sint in  
 signa, stata tempora, dies Et annos, Et  
 luceant in firmamento Et illuminent  
 terram. Decretum ita atq; statutum  
 esse ait à DEO, ut stella, inter quas pra-  
 cipua luminum vis, distinguant, va-  
 rient, temperent, idoneis qualitatibus  
 Et natura mixtorum convenientibus,  
 diurna, menstrua Et annua spacia; sint-  
 que in signa, id est antè respecta Et con-  
 siderata de initiis, progressionibus ac  
 metis temporum, deq; illis, qua inci-  
 dunt, variationibus vi stellarum exci-  
 tatis, moneant atq; edoceant homines.  
 Ergò Et hoc eis tribuit, quod aliàs alitèr  
 elementaria cuncta afficiant, easq; affe-  
 ctiones suo positu praeostrent atten-  
 dentibus. Neq; enim consentaneum est  
 maxima illa, fulgentissima, incredibili  
 sapientia absoluta corpora, tanta lucis  
 varietate, tanto numero, Et certa atq;  
 immota lege consistentia nec erroribus  
 obnoxia, nec labem ullam inde usq; ab  
 initio

initio affectionemve vel minimam per-  
 pessa, quorum perennes motus ac perpe-  
 tuos cum admirabili incredibiliq; con-  
 stantia, & consensu inter se, atq; conve-  
 nientia immutabili cernimus: ociosi  
 tantum ornatus causa efficta esse, non  
 verò ad alios usus longè potiores; quos  
 tamen perpetua experientia argumen-  
 ta innumera comprobant observata,  
 firmissimeq; convincunt.

Quam verè & variè Luna mens-  
 atis subinde suo circuitu sedibus, &  
 in alios atq; alios sex reliquorum Pla-  
 netarum radios posituq; incurrens,  
 terrena afficiat omnia, vel sola ratio  
 dierum monstrat criticorum, eorum-  
 que quos Πιθήλας, Indices, vocant.

Quanquã enim quæsita semper ratio  
 est, qui fiat, quod in ipsis penè arti-  
 culis dierum septimorum accidant in-  
 egris subita morborum conversiones,  
 qua aut oppressos eos perimunt, aut  
 solutos morbos profligant; Cur item  
 quis



„ qui praecedunt quarti, secuturam  
 „ septimo conditionem declarent: ta-  
 „ men non nisi in Luna motum causam  
 „ certa referri potuit. Etenim septimo  
 „ quovis die Luna defertur ad signum  
 „ illi adversum, in quo morbus cepit:  
 „ si eo positu morbo quoque adversatur  
 „ & ceterorum Planetarum consentien-  
 „ tia sequens roborantia adipiscitur suffra-  
 „ gia, tunc naturam agri contra mor-  
 „ bum incitat atque instruit validissime,  
 „ cumque eam unam discussum evictumque  
 „ exterit, adeo, ut ne vestigia quidem  
 „ morbi relinquuntur. Sin cum morbo  
 „ consentiens, seu in natura conspirat  
 „ perniciem, acuit eum, ut fractam con-  
 „ tusamque extinguat. Si conanti na-  
 „ tura tentantiq; morbi abactum opi-  
 „ tulatur languidius, sola natura mor-  
 „ bo impar, partem ejus excutit, reli-  
 „ qua aut infestat denuo, sine intermis-  
 „ sione, aut ex intervallo recidivas fa-  
 „ cit. Quartus, septimi praenunciat.

conditionem, quod eo ferè de signo,,  
 aliqua ex parte contrario primo tran-,,  
 sit in aliud cognatius ac similius: Siq;,,  
 illud ut signo primo, sic morbo con-,,  
 trarium fuit, neq; in eo transitu infe-,,  
 stum ipsa Luna aliquid aut hostile,,  
 experta vel perpeffa est, auxit natu-,,  
 ra robur, morbi viribus attenuatis &,,  
 accisis, idq; se promit quarto, quo se-,,  
 dem mutat, sin morbum armavit in,,  
 naturam, aut debiliori presidio natu-,,  
 ra subvenit, contrarium evenit.

Hæc ergo omnia cum ita sese habe-  
 ant, quod videlicet Astrologia maximi  
 sit momenti in arte etiam medica: opera  
 pretium esse, remq; haut ingratam sed  
 ut exoptatam ita utilissimam Medici-  
 na studiosis me præstiturum, statui,  
 quando antiquorum documenta Medi-  
 corum astrologica, non sanè cuivis ob-  
 via, tum <sup>1.</sup> de crisi, diebusq; criticis,  
<sup>2.</sup> de electione medicamenta, nec non  
 vena sectionem administrandi, hinc  
 inde

inde fufius diffeminatâ colligerem, collectâ feligerem, selectâ in ordinem componerem, compofitâ compendiolo mandarem, atque in lucem utilitatemq; publicam evulgarem.

Ceterum cum ita moris fit, nec moris illaudati, ut in publicum producturi libros, non tantum praefationum auspicia praemittant, sed dedicationes etiâ nuncupent, quarum patrocinio quafi scripta fua confecrata efle exoptant: Sive morem iftum ufus duntaxat exemplorum invexerit, quorum fanè vis eſt in re qualibet maxima; ſive neceſſitas ſuaſerit, quæ ut in publicum prodituros ingenti iudiciorum varietati exponit, ita de praſidio quemcunq; cogitare, ductu etiam naturali, impellit: ideoq; & ego in hoc quoque meo propoſito & conſuetudini & ſimul neceſſitati libenter locum conceſſi. Circumſpicienti itaq; de libelli huius Patrono, cuius tutelâ non ſolum ob iudiciorum mul-  
tipli-

iplicitatem, sed etiam propter maledi-  
cos precipuè criminatores, materialium  
istiusmodi, nulla quidem de causa, nisi  
ex stupida ignorantia, osores, vel ma-  
ximè opus fore intelligerem: en Prin-  
ceps Serenissime, Domine clementissime  
Tuam Celsitudinem mihi unicè pro cly-  
peo eligendam humilima animi mea de-  
voti confidentia dictavit, ob singularem  
nimirum, summa ac propemodum indi-  
cibili cum munificentia, quo & longè  
lateq; clares, favorem atq; amorem &  
in res & in Personas literarum, maxi-  
mè verò admirabilem Medicinam, ita  
quidem, ut ne angulus Europa sit quem  
Phœbus illustrat, quo immortalis hæc  
tua gloria, Principe omninò dignissi-  
ma, non penetraverit. Verum quidem  
fatebor, cum Serenitatis T. splendorem  
summum mecum ipse perpenderem,  
multum diuq; subdubitans cunctatus  
sum, veritus, ne quid forsitan tanto He-  
roï decederet, quod non magis Ipsum  
suspi-

suspicerem, exiguum adeò & chartaceum  
 unum levidense munusculum vel invitum  
 obtrudendo, simili ferè modo, quo rui-  
 stici quidam ineptiores, cum hospitem  
 egregiè à se honoratum volunt, eum  
 pyris, malis, nucibus aliisque id genus nu-  
 gis, licet deprecantem tamen invitum  
 & vi quasi onerant, infarciunt, itaque  
 onuste infarcitum dimittunt. Verum-  
 tamen si quid in hoc peccaverim, quoad  
 S. T. C. hæc tenuia offero, apud Ean-  
 dem me vicissim veniam quoque in ver-  
 turum spero. cum haut minus lata fron-  
 te exigua ab infimis accipere, quam ma-  
 gna à summis aequalibusque solere, lauda-  
 tissimum apud exteros etiam jam dis-  
 dum humanitate sua testimonium ac-  
 quisiverit. Fertur siquidem & in ac-  
 cipiendo aliquid liberalitatis esse, nec-  
 minus esse regium parva interim à te-  
 nuioribus fronte hilari, cum offeruntur,  
 accipere, quam vel maxima dare.  
 Sunt Diis parva gratissima, & parvas  
 Jovem placant.

Augu-

Augusta itaq; protectioni Tuæ, ô  
 Princeps Serenissime, hæc à me humili-  
 mè subjecta, sub tua recta recipi, Celsif-  
 simiq; Tui nominis fulgore decorari, il-  
 lustriora reddi, & ad hominum manus  
 tutissimè exire, digneris, patiarisq; cle-  
 mentissimè. Vale Serenissime Prin-  
 cept, meq; humilimum clientem cle-  
 mentia T. complectere. Dat. M.  
 Majo An. M. DC. XXVII.

Sereniss.

V. Celsitud.

devotissimè hu-  
 milimeq; co-  
 lens

Cornelius Pleier D.  
 Physicus Ordina-  
 rius. p. t. Kitzinge.

DE



DESIGNIS ET  
CRISI, IN COMMUNI,  
SECUNDUM ME-  
DICOS.

**A**nta illius Medici-  
næ partis, quæ Progno-  
stica vocatur, sublimi-  
tas est atq; dignitas, ut  
eam callentem, summo honore  
Medicorum afficiat, omniq; jure  
splendida ista fama illustret a-  
pud Homerum Iliad. a. Chal-  
cantis : ὅς ἤδη τὰ τ' ἔοντα, τὰ τ' ἐσ-  
σύμενα, πᾶσι τ' ἔοντα quod est : qui  
sciebat & præsentia, & futura, &  
præterita. Vel ut Virgilius 4.  
Georgic. de Proteo.

novit namq; omnia Vates  
Quæ sint, quæ fuerant, quæ mox ventura trahantur.

Atq;

Atq; ut Boëtius :

*Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas,*

*Atq; motus omnes, & inexorabile fatum*

*Subiecit pedibus, strepitumq; Acherontis avari.*

Etenim hæc ipsa Medicinæ pars morborum causarumque morbificarum vim & malitiam, tum naturæ constantiam & languorem nobis aperit, quantumvè hæc triumphentur, aut triumphent: unde præfagire nos docet de spe salutis aut certo interitu, & num confertim, an lenta die solvendus sit morbus, qua via, die, imò hora. Omnis autem præfensio triplicibus aperitur signis: *Pathognomonicis, Epigenomenis & Epiphanomenis.*

*Pathognomonica*, inseparabilia sunt, & morbo propriè ac necessario adhærent; unde speciè, differentiam ac magnitudinem morbi loquuntur: quemadmodum



dum lateris punctorius dolor, difficilis respiratio, tussis, acutaq; febris pleuritidem perpetuò comitantur.

*Epigenomena* (Συωδρέοντα) comitantia etiam sunt, & morem morbi exprimunt, sicut *epiphenomena*, sed non perpetuò: ut in pleuritide delirium.

*Epiphenomena*, tertio loco, maximè morem morbi loquuntur, maximeq; propriè Prognostica dicuntur: atq; illa prognosis, quæ ducitur ἐκ τῶν Ἐπιφαινόμενων nunquam ferè fallit.

Hæc verò iterum triplici apparent genere: quædam ad coctionem & cruditatem; alia ad salutem & mortem; alia ad tempus & speciem futuræ crisis.

*Coctionis* & cruditatis signa iudicium ferunt de brevitate & prolixitate morbi: unde etiam

con-

consequenter de salute & morte,  
temporeq; crisis.

Ut autem *coctio* sit perfecta &  
laudabilis, requiritur <sup>1.</sup> ut sit *con-*  
*tinua*, & <sup>2.</sup> *Universalis*.

*Continua* coctio est, quæ non  
interrupta, sed constans est. Fu-  
gax enim mala, ex collapsa vir-  
tute coquendi, vel de succi mor-  
bifici succrescentis perennitate.

*Universalis* est, quæ in univer-  
salibus excrementis enitescit;  
cajusmodi sunt urinæ, alvi deje-  
ctiones, & expectorata; in veno-  
sis, alvinis ac thoracicis morbis  
consideranda. Particularis nam-  
que coctio frustrâ suscipitur in  
cruditate universalium excre-  
mentorum. Et Hippocrates scri-  
bit in parotidibus, urinas modò  
pepasmî participes, modò ex-  
pertes, pestíferas esse.

Signa salutis & mortis, sumun-

B

tur

tur à viribus aëri & morbi. Nam cum hæc duo Athletarum instar pugnent, ex virium utriusq; artificiosa collatione exitus certaminis prævideri potest: nempe ex vigore & constantia naturæ, salus; ex ejusverò languore & morbi robore, interitus.

Virium robur spectatur in Habitu corporis, qui potissimum elucet in colore, caractere & mole; actionibus vitalibus, naturalibus & animalibus; atq; excrementis, in substantia, copia, qualitate, tempore & excernendi modo cōsideratis: ex quibus sunt urinæ, dejectiones, vomitus, expectorata, sudores, lachrymæ, sanguis, fæctus, flatus. Quæ omnia quo melius habent, quoq; magis naturæ sunt similia, eo melius testantur de viribus; & contra, quo magis à naturali statu recesserint:

(rece-

(recedunt autem itidem triplici modo, vel quod diminuuntur, vel abolentur, vel depravantur) eò imbecilliores vires exhibēt, tantoq; angustiore[m] spem salutis offerunt.

Morbi robur intelligimus,  
 1. *Ex ejus essentia*: quæ spectatur in morbi specie; Magnitudine; **Mo-  
 re**, bono vel malo; Motu, celeri, vehementi, constanti, æquali; Parte obsessa, ut ejus dignitate, robore, & qualitate, in colore, mollitie, duritie; & Humor[um] deniq; dominatu.

2. *Ex causis ipsius morbi*, forma, materia, subjecto: Nam totum vel pars obsideatur; iisq; morbifica causa impressa est penitus, vel non; vel robusto corpori insedit causa, vel non; vel benè vel male habitam fuit corpus. Tùm ex causa efficiente. h. e. quod gignit,

auget, conservat. Tùm ex fine, & instrumento, caussa q; sine qua non & cum qua.

3. *Ex effectis morbi, caussa q; morbificæ, ac symptomatum.* Symptomatum, nempe in qualitatibus, actionibus, & excrementis: quemadmodum supra etiam dictum de robore virium.

4. *Ex analogia, cum aliis:* ut si eodem tempore publicæ grassentur contumaces tertianæ; vel si in ægri familia plurimi eodem morbo tali cum crisi extincti fuerint.

Omnia hæc si immania fuerint, maligna, assidua, ipsisq; ad morbi decursum vires impares, & concursus horum conspiratio ad deterius, & motuum ductus ordinis vel seriei expers sit, ad integritum apparebunt.

*Tertio & ultimo loco, inter signa*  
Epi-

Epiphænomena sunt signa Crisis, quæ nimirum speciem ac tempus futuræ crisis prædicunt.

Est autem Crisis duellum naturæ & morbi, unde repentina mutatio fit ad salutem vel mortem, ad melius vel deterius. Seu, ut Avicenna definit secūda quarti: Est alteratio subito facta aut ad latus sanitatis, aut ad latus mortis.

Crisis tamen in quantum crisis, pluries terminatur ad salutem, quam ad mortem, ac potius debetur sanitati quam morti. Ratio hujus est: quia crisis in se effectus est naturæ naturaliter operantis propter finem bonum, quæ sic operans non tentat commovere materiam, nec separare nocivum à juvativo, nisi materiâ digestâ, super quam digestam victoriosa ut plurimum est; & hoc

rarò fallit, crisi existente completa. In febribus autem pestilentibus, & ubi materia est valdè maligna, ut plurimum crisis ad mortem est, quia malignitatem natura superare nequit.

*Habetq; crisis tres partes. Prima est,* in quâ natura materiam morbi commovet, separando nocivum à juvativo, ipsumq; nocivum vel derivando versus loca expulsionis ad extra corpus, vel in membra corporis ignobiliora: Et vocatur hæc pars commotio antecedens.

*Secunda pars est,* in qua natura evacuat & corpore expellit, quod in prima parte separatum fuit atq; directum ad loca expulsionis: Et vocatur hæc pars Evacuatio.

*Tertia pars est,* in qua repentina fit alteratio ad salutem.

Acci-

Accipiendo igitur crisin in la-  
tiori significatione complectitur  
has tres partes. Propriè autem  
& strictè accipiendo, ipsa solùm  
est alteratio subito facta aut ad  
sanitatis, aut ad latus mortis.

*Estq; perfecta, vel imperfecta.*

*Perfecta egrum perfectè à morbo liberat,*

*Estq; salutaris, aut letalis,*

Salutaris ut sit, requiruntur  
hæc: 1. Utsic <sup>evomus</sup> ☿, id est, bo-  
nis signis & pepasmi notis præin-  
dicata. Nulla enim crisis fit bo-  
na in cruditate: neq; salutaritèr  
quicquam fieri potest, quod antè  
significatum non fuit signis ap-  
parentibus ad tempus & ad spe-  
ciem ipsam crisis. 2. Manifesta,  
id est, cum caussis criticis, excre-  
tione quippe perfecta, vel absces-  
su. 3. Die critico contingat. 4. Fi-  
da, in qua nihil reliquiarum su-  
perest. 5. Secura, id est, sine pe-



riculosiſ ſymptomatibus, & cum ægri tolerantiâ 6. Conveniens naturæ morbi & ægri.

In bona itaq; & laudabili criſi neceſſe eſt coctionem præcedere, poſtea ſeparare, deniq; expellere. Atq; ideò criſis nunquam fit in principio, neq; in augmêto morbi univerſali; ſed in ſtatu. Neq; etiam in declinatione: quia quando commotio fit materiæ, ſymptomata maximè intenduntur, in declinatione autem eadem jam ſunt remiſſa. Hinc & Gal. 3. Criſ. pronuntiavit: Melior criſis eſt in hora ſtatus ægri-tudinum.

*Lethalis criſis contraria ſalutari habet omnia.*

Imperfecta ruruſ eſt duplex. Una ad melius, quæ non omninò aufert morbum, ſed ægrum reddit alacriorem ad ferendum morbum.

**Altera**

## Altera ad deterius.

Notandum tamen 1. non in omnibus morbis fieri crisin, sed duntaxat iis, qui ex vitiosis generati sunt humoribus: & 2. in frigidis ac regionibus borealibus rarissimè expectari criticas evacuationes.

Omnis autem crisis, vel excretionem fit, vel abscessu.

Et ubi in aliquo morbo contingunt, juxta humorum varietatem & loci affecti naturam ipsæ quoq; variant. 1. Ut qui sanguine copioso referti sunt, iis in morbis critica evacuandū contingit vel per hæmorrhagiam narium, vel per phlegmonas, vel per cutis efflorescentiam.

Qui flavæ bilis copia molestantur, iis in morbis critica evacuatio contingit aut per biliosas alvi dejectiones, aut per biliosum

vomitum, aut per cutis totius pruritus, scabiemq; siccam.

Qui phlegmatis vitiosi exuberantia gravantur, eos in crisi natura liberat aut per vomitum pituitosum, aut per tumorem pedum, aut per œdemata.

Qui vitiosa atra bile affliguntur, iis in crisi evacuatio fit sive per nigras alvi dejectiones, sive per hæmorrhoidas, sive per tumores lividos ac nigros.

Qui offenduntur serosa humorum superfluitate, iis in critico die copiosus sudor profluit.

Qui ex mistis hisce humoribus laborant, iis pro diversitate humorum peccantium commistionis, diversæ quoq; & mixtæ crises eveniunt.

I I. Juxta partis affectæ naturam: ex capite per sanguinis è naribus eruptionem; ex ventriculo, per

lo, per vomitum; ex epate & splene, per alvi dejectiones, aut hæmorrhoidas, & urinam; ex renibus & vesica, per solam urinam; ex utero, per eruptionem mensium; semper fit critica evacuatio.

Signa autem futuræ hæmorrhagiæ sunt, rubor faciei, capitis & colli dolor, arteriæ temporum vehementer pulsantes & micantes, hypochondrii distensio fugax & sine dolore, cum spirandi difficultate, visus hebetudo & vitium, ita ut lucem avertentur oculi, lachrymæ profundantur involuntariè, & marmarigæ oculis obvertentur, imaginationis læsio, & falsa spectrorum, præcipuè rubeorum, apprehensio, aurium tinnitus, & narium titillatio.

Vomitionis futuræ indicia sunt, jactatio cum nausea, cordis

morsus, sputatio frequens, tenebricosa visio, & vertigo, labri inferioris tremor, linguæ amaror, crebra horrescendi & subsistendi vicissitudo, partes infra hypochondrium frigidiores, cordis palpitatio, spirandi difficultas, pulsus durus & inæqualis, & acutus capitis dolor.

Excretionis per alvum futuræ indicia sunt, ructus, flatus & crepitus ventris, dolor lumborū, pulsus parvus & frequens, urinæ tenues & albæ atq; etiam aliquantum suppressæ.

Sudoris futuri indicia sunt, urinæ suppressio ob translationē feri, rigor vellicato panniculo pulsus mollis, fluctuans, & nodosus, maximè si ægro exteriores partes caleant, facies rubescat, cutis sit mollis, & sentiatur è corpore calidus quidam vapor, copiosus

piofus  
aque  
Pr  
indica  
lumbo  
rensi  
quin  
lent, re  
dinatu  
Uri  
ferè n  
nis & p  
cesser  
vomit  
nec su  
simile  
judica  
verè  
& card  
sentia  
curfu  
mix  
& ren

piofus efferrī, infomnia lotionis  
aquæ calidæ vel balnei.

Profluvii menstrualis futuri  
indicia ſunt, æſtus & gravitas  
lumborum, hypogaſtrii dolor ac  
tenſio, ſymptomata quæ alio-  
quin illis iminentibus evenire ſo-  
lent, tempusq; conveniens & or-  
dinatum.

Urinae profluvii futuri indicia  
ferè nulla ſunt: ſi tamen coctio-  
nis & perturbationis criticæ præ-  
ceſſerint, nec hæmorrhagiæ, nec  
vomitus, nec alvinæ dejectionis,  
nec ſudoris ſigna eluceant, veri-  
ſimile eſt, per urinæ profluvium  
judicatum iri morbum, maximè  
verò ſi gravitas in hypogaſtrio,  
& ardor in pudendi extremo per-  
ſentiantur, ſi item toto morbi de-  
curſu copioſas & craſſas urinas  
minxerit: adde ætatem ſenilem  
& tempeſtatem hybernā.

Per hæmorrhoidas futuræ sanguinis vacuationis indicia nulla traduntur: si tamen coctionis, suo die, & perturbationis criticæ: signa apparuerint, nullaq; sudoris, vomitus, hæmorrhagiæ, diarrhœæ, urinæ profluvii indicia observet Medicus, & consueverit æger hæmorrhoidas pati, huic, verisimile est, mox esse futuras.

Cæterùm quod jam crisin instantem attinet, eam indicant signa perturbationis criticæ, quæ quidem pro varia excretionis specie varia existunt, ut hæcenus dictum est: attamen in genere hæc sequentia quamcunq; crisin ut plurimum solent præcedere, capitis dolor ingens, turbatio rationis, jactatio & inquietudo incredibilis, sitis inexplebilis, spirandi difficultas, pulsus inæqualitas, aliaq; gravia symptomata.

Quæ

Quæ si noctu fiunt, sequenti die, si interdiu, sequenti nocte crisis eveniet.

Horam autem, paroxysmi ratio ac tempus indicat. Nam qua diei hora paroxysmus advenire solet, & quod paroxysmi tempus ægro est gravius, eâ hora & tempore crisis expectanda erit.

Jam etiam ad signa futuri abscessus; quæ vel ipsum abscessum indicant, vel ejus locum.

Ipsam abscessum prænunciant, longitudo morbi, ut si morbus 20. aut 21. diem excesserit, tunc plerunq; expectandus abscessus, quando nullus dolor affligat ob inflammationem aut aliam manifestam causam; urinæ tenues & crudæ toto morbi decursu, cum salutaribus signis apparentes; hyemale tempus, quo abscessus ut plurimum fiunt;  
nec



nec non crisis imperfecta. Con-  
suevit enim natura sæpè excre-  
tionem criticam in abscessum  
convertere.

Locum abscessus, partem  
nempe corporis vel superiorem  
vel inferiorem prænunciant, hu-  
moris conditio, ut si tenuis sit, ad  
superiora potius, si crassus, ad in-  
feriora viam affectabit; naturæ  
robur, hoc enim si validum, de-  
orsum, procul, & pro dignitate  
morbi fiet; partis alicujus imbe-  
cillitas, ut si antè pars quæpiam  
laborârit, in eam morb<sup>9</sup> decum-  
bet, aut si in ipso quoq; morbo  
præ reliquis in aliqua parte sin-  
gularis fuit molestia; ac deniq;  
meatuû sursum deorsumve spe-  
ctantium conditio ac situs. Nam  
peculiaris est partium *κλινοία* &  
rectitudo, per quam humoris de-  
cubitus non tam naturæ robore  
quam,

quam à forma humoris elemen-  
tari fieri solet : fit autem motus  
qui elemētarem formam sequi-  
tur ad perpendiculum & κατ' ὀ-  
ρθωειαν.

## DE MOTU CRI- TICO.

**Q**uod motus criticus proce-  
dat ex influxu superiorū,  
tali deducitur probatione. Quic-  
quid adhæret uni, una viæ & or-  
dine uno, adhæret illi per caus-  
sam & principium omnis muta-  
tionis & motus & variationis &  
alterationis, quæ & sunt & fiunt  
in omnibus inferioribus.

Atqui motus criticus adhæ-  
ret uni viæ & ordini uni, ut patet  
per experientiam.

Ergò motus criticus adhæret  
illi per principium omnis motus  
ac mutationis, adeoq; provenit,

ex

ex motu & influxu superiorum  
Solis præcipuè ac Lunæ.

Sicut enim Sol mutationes o-  
peratur per motum suum in qua-  
tuor quadris circuli Zodiaci in  
morbis chronicis: ita Luna in ac-  
cutis mutationes efficit motu suo  
per quatuor quadras signorum  
Zodiaci.

Nam dies etiam critici tam  
in chronicis attenduntur, quam  
in morbis acutis: & qui nume-  
rantur in chronicis, insequuntur  
motum Solis; qui verò in acutis,  
imitantur motum Lunæ.

Et per quatuor quadras Solis  
distinguuntur quatuor anni tem-  
pora, secundum quæ aër diversi-  
modè alteratur processu Solis.  
Atq; hinc fit, quod morbus, qui  
incipit in hyeme, terminatur in  
æstate, & qui in vere incipit, ter-  
minatur in autumno: hinc etiam  
quod

quod qualibet harum quartarum moveantur in corporibus nostris humores, suis qualitatibus qualitate aëris illius quartæ proportionales; unde sanguis, qui temperatus est cum declinatione ad calidum & humidum complexionem Veris proportionatur ac movetur; Cholera in æstate; Melancholia in autumno; Phlegma in hyeme.

Luna autem motus humores movet dupliciter, motu videlicet generali & speciali.

Generali five communi, secundum quem Luna in lumine augmentatur ac diminuitur: ea enim crescente crescit omne humidum, in aqua, animalibus, arboribus, plantis, &c. & sic etiam humores & humiditates in corporibus hominum usque ad plenilunium augmentantur, Lunaque decre-

decrefcente decrefcunt ac mi-  
nuuntur.

Motu autem fpeciali & pro-  
prio movetur Luna per 12. fignis  
Zodiaci, in quibus 4 efficit qua-  
dras diverfificatas qualitatibus  
& figuris ipfius Lunæ: atq; illis  
in quadris movetur humor qua-  
litatibus cujusq; quadræ pro-  
portionalis; unde dicitur in pri-  
ma moveri fanguinem, in fecun-  
da choleram, in tertia melan-  
choliã, in quarta phlegma.

Veruntamen Sol & Luna, re-  
liquiq; Planetæ, atq; etiam ftellæ  
fixæ diverfimodè operantur fa-  
ciendo crifin. Sed Sol & Luna  
manifeftius mutant corpora in-  
feriora fuis motibus, lumine &  
influentia in 12. fignis Zodiaci,  
adhuc tamen magis Luna ob fui  
propinquitatem ad nos. Nam ita  
Galenus quoq; ait 3. de diebus  
decre-

secretoriis (nam c. 2, 3, 5, 6. per  
 uam aptè dies criticos à Lunæ  
 motu definivit) Luna significat  
 super dies, qualiter erit dispositio  
 hominis in iis, & in ægritudine  
 sua, & in sanitate sua. Nam si ap-  
 plicentur Lunæ stellæ erraticæ  
 fortunatæ, erunt illi dies homini  
 convenientes, & terminatur cri-  
 sis ut plurimum in bonum: ac si  
 applicentur ei stellæ infortuna-  
 tæ, erunt illi dies homini dies læ-  
 tionis ac tristitiæ, crisisq; termi-  
 nabitur in malum.

Nam homo nascens quivis, se-  
 cundum cœli, tempore nativita-  
 tis, constellationem, sortitur na-  
 turam, temperamentum & ani-  
 mi mores diversos prout nimi-  
 um aër per fortissimam spiritua-  
 lem astralium imaginationem &  
 respectum ad se invicem fuit af-  
 fectus. Cum enim ex aëre homo  
 spi-

spiritum ducat, & Mercurialia: a  
 aliàs ad transmutationem aliorum  
 apta sint, qualis aër, & facile alio-  
 rum naturam recipit, totiusque  
 cœli impressiones per sentiscit.  
 Ita plurimi mortalium morbo  
 incidunt, cum ratione cœlestis  
 motus & revolutionis vel qua-  
 dratus vel oppositus radius ma-  
 lefici ferit eum Planetam, qui  
 tempore *zeneris* malè ab infortu-  
 nis aspicietur. Illa enim per  
 aërem inspirata in nativitate cœ-  
 stellatio occultè in visceribus oc-  
 perta, facilimè actuatur per re-  
 vertentem similem. Unde &  
 Hippocrates non minimum esse  
 pronunciavit, quod ad Medicinam  
 Astronomia conferat, lib.  
 de aëre aquis & locis; replicante  
 id ipsum Galeno in Or: quod Me-  
 deb. esse Phil. siquidem sine stell-  
 larum congressu nihil in rebus  
 humanis

humanis aut valetudinarium est  
ut sanum, ut loquitur Trisme-  
gistus in Jatromath.

Exemplum de hoc ponit Ga-  
enus, quod cum homo nascitur,  
& fortuna reperitur in Ariete, ac  
afortunium in Tauro, tunc ho-  
mo iste, procul dubio, quando  
Luna est in Ariete aut Libra, vel  
in Cancro aut Capricorno, dispo-  
sitionem habebit bonam: Sed  
quando est in Tauro, aut ejus si-  
gno opposito, aut signis quadra-  
tis à Tauro, ut sunt Scorpio, Leo,  
& Aquarius, tunc dispositio ejus  
erit mala, atq; etiam ægritudi-  
nes, quæ accident ei, deteriores;  
contrà verò illæ ægritudines,  
quarum initium est dum Luna  
novetur in Ariete, Cancro, Li-  
bra, aut Capricorno, sunt salvio-  
res ægritudinum ejus, atq; ut ex  
his evadat digniores. Insuper &  
hoc



hoc Galenus dicit : Nos inveni-  
mus, quod omnium, quæ acci-  
dunt in Numero dierū, in omni-  
bus rebus, causa non est nisi  
Luna.

Operatur autem Luna in ter-  
minatione morborum tribus po-  
tissimūm modis : 1. per operatio-  
nem manifestam, mutando aë-  
rem. 2. per operationem quam  
habet transeundo per loca oppo-  
sita & quadrata in Zodiaco ; 3. &  
per operationem fortunii vel in-  
fortunii, prout nimirum fortu-  
natur vel infortunium patitur.

Sol autem de his tribus opera-  
tionibus potissimūm habet pri-  
mam ac tertiam. Per primam  
enim, aëris nempe mutationem  
manifestam terminat morbos  
longos. Per tertiam, quæ est per  
modum fortunii vel infortunii  
efficit crisin, sicut & quilibet alius  
Planeta.

Reli-

Reliqui deniq; Planetæ ac stelle fixæ principaliter tertiam operationem habent, secundum fortunium ac diffortunium. Aliquid tamen cooperantur quoq; per primam, quando per aspectum, quem habent ad Solem, in determinatis locis Solem adjuvant, aërem vel calidiorem, vel frigidiorum reddendo.

## DE DISTINCTIONE

*Dierum Criticorum juxta Medicos.*

**D**istingunt Medici dies criticos trifariam. Aliqui enim sunt verè & perfectè critici, quos vocant Principes, vel *Radicales*, vel *Decretorios*: aliquos Indicativos, seu *Contemplabiles*, seu *Inter-nuncios*: aliquos *Intercidentes*, vel *Intercalares*, vel *Irrepentes*, vel *Provocatorios* appellant.

Reliqui sunt Vacui & Medicinales dicti, qui nec indicant, nec judicant, nec provocant, & quibus cathartica exhibentur; quæque illis eveniunt crises ut plurimum malæ sunt. Sunt autem dies 6.8.10.12.16.18.

*Intercidentes dies sunt*, qui inter principes decretorios & indices intercidunt, in quibus quandoque crises contingunt irritata natura à materia morbifica: & hi dies solum in morbis biliosis acutis attenduntur, quia tantum istorum morborum materia talis est, quæ possit stimulare naturam, ita ut moveatur ad expulsionem, non expectata naturâ superiorum; talis enim est materia cholericæ, cujus est movere de tertio in tertium, & sic de tertio in tertium naturam stimulare. Atque ideo hi dies per ternarium cum replicatione

catione tertiæ diei computantur, hoc modo: 1.2.3. 3.4.5.5.6.7. (hic verò est criticus) 7.8.9. 9.10. 11. (hic verò est index decimi quarti) 11.12.13. Vocantur & hi dies à Rhase 19. continentis, critici mendosi, de quibus dixit: **Cadentes** in medio intelliguntur esse illi qui non sunt septimi, nec quarti. Item: **Crisis** in morbis acutis, ut plurimum fit in diebus intercidentibus.

*Indicativi dies sunt*, qui crisis in septenario futuram indicant. Si enim illis diebus salutaria elucet vestigia, quæ signa sunt coctionis, tunc die principi & radicali salutaris crisis speranda est; sin lethalia, lethalis crisis expectanda. Judicant interdum & hi dies, sed imperfectius, estq; exigua eorum vis, propterea **Indices** verius magisq; proprie,

quam Judices dici debent. Sunt autem dies Indices, qui currunt per numerum quaternarium, resultantes per divisionem septimanæ sive quadraturæ Lunæ in duas partes. Sunt autem in quolibet mense lunari quatuor, scil. 4. 11. 17. 24. proceduntq; hi dies per quaternarium, semper cum replicatione quarti, præterquam in quaternario secundo cujuslibet vigenarii numeri, unde dies septimus qui est secundus quartus vigenæ primæ non replicatur. Computantur ergò sic: 1. 2. 3. 4. 4. 5. 6. 7. jam septimus dies non replicatur, sed tertius quaternarius incipit die octavo & computatur sic: 8. 9. 10. 11. & iterum 11. 12. 13. 14. ita deinceps 14. 15. 16. 17. rursus, 17. 18. 19. 20. Atq; sic etiam computandum est in aliis numeris vigenariis, ut 21. 22. 23.

24. rur-

24. rursus, 24. 25. 26. 27. jam iterum septimus dies utpote secundus quartus vigenæ secundæ non replicatur, incipitq; tertius quartus die vigesimo octavo, sic: 28. 29. 30. 31. iterum, 31. 32. 33. 34. ita deinceps, 34. 35. 36. 37. rursus, 37. 38. 39. 40. & hac ratione consequenter usq; ad vigenarium ultimum, qui est 120. dies.

*Dies perfectè critici, radicales, principes, seu decretorii* (sic dicti, quod quæ his diebus contingunt crises perfectæ criseos nomen habent) currunt per septenas, suntq; eorum in mense lunari quatuor: 7. 14. 20. 27. & computantur sic: Cuilibet numero vigenario dantur tres septimanæ, & primus septimus numerus sive ultimus primæ septimanæ dies non replicatur cum prima die secundæ septimanæ, sed disjunctim nume-

rantur, verum secundus septimus qui ultimus est septimanæ secundæ replicatur cum primo septimanæ tertiæ; atq; ita computantur septimanæ: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. postea 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. jam secundus septenarius replicatur 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

Simili modo computantur & reliqui vigenarii numeri, qui vocantur à Medicis Periodi universales in crisi sive diebus criticis, & computantur sic: Primi vigenarii terminus est dies 20. secundi 40. tertii 60. quarti 80. quinti 100. sexti 120.

Nam in quibus morbis non subito fit exclusio materiæ morbificæ, ea ut longa die vincatur spes est, & tunc vicenis moribus natura agit materiam, usq; ad diem 120. qui cum 4. impleat, menses, initium erit postmodum  
qua-

quaternionum menstruorum.

*Numerationem verò dierum a uspi-*  
*cabimur ab eo die, quo lucidè vio' ta*  
*actio in agris conspicua est.* Ita in pu-  
 erpera dies computamus à dolo-  
 ribus partus, non ab eo die quo  
 cœpit febricitare, in illis nempe  
 febribus, quæ secundo aut tertio  
 die partum sequuntur, quoniam  
 illi humores sequuntur motum  
 factum in die partus: sed si post  
 aliquot dies oboriatur febris, ex  
 alia causa hæc nata fuit.

In intermittentibus autem  
 febribus non propriè dierum, sed  
 periodorum duntaxat habetur  
 ratio.

Hi ergò dicti dies sunt quasi  
 Judices & arbitri belli naturæ ac  
 morbi, atq; de victoria illius vel  
 hujus pronunciantes, longo usu  
 & experientia à Medicis ita no-  
 tati.



56 MEDICUS-CRITICUS  
 TABULA DIERUM AC PERIODORUM usque ad 120.

1.	22.		
2.	23.		
3. Intercidens.	(24.)	Index vigesimi	
(4.)	(24.)	septimi.	
(4.) Index septimi.	25.		
5. Intercidens.	26.		
6. Vacuus.	27.	Criticus quartus in	
		mente lunari.	
7. Criticus radicalis.	27.	Quaternarius se-	
7. Quaternarius se-		cundus vigena se-	
cundus vigena pri-		cūda nō replicatur.	
ma non replicatur.	28.		
8. Vacuus.	29.		
9. Intercidens.	30.		
10. Vacuus.	(31.)		
(11.)	(31.)	Index decimi	
(11.)		quarti.	
12. Vacuus.	32.		
13. Intercidens.	33.		
(14.)	(34.)	Criticus radica-	
(14.)	(34.)	lis.	
15. Intercidens.	35.		
16. Vacuus.	36.		
(17.)	(37.)	Index vigesimi.	
(17.)	(37.)		
18. Vacuus.	38.		
19. Intercidens.	39.		
20. Criticus radicalis.	40.	} Terminus	
Terminus vigenarii	60.		} vigenarii
primi.	80.		
-----	100.		
21.	120.		

II.  
 III.  
 IV.  
 V.  
 VI.  
 DE

DE DIEBUS CRITICIS  
 secundum Iatromathe-  
 maticos.

**L**ongouſu & experientia foeliciores in crifes notati à Medicis fuerunt dies 7. 14. 20. ſed ferè ſine rationibus. Cum verò animadverſum ſæpè ſit, non hiſce diebus ſemper, ſed etiam 8. 15. 21. crifes eveniſſe, ideoq; cauſam motus dierum criticorum, ex motu Lunæ dependere ſedulis atq; ingenioſis indagatoribus compertum fuit. Cum enim Luna inſita ſua virtute in corporibus animantis gubernet ac moderetur, Sol verò ſuo calore ſpiritus vitales regat, in conjunctione, ☌, & oppoſitione, ☍, quadra- toq; aſpectu, ☐, horum duorum corporum, nec non reliquorum Planetarum configurationibus

benignum malignumve conspi-  
rantibus, variæ fiunt mutationes  
& conturbationes in corporibus  
nostris.

Avicenna de diebus radica-  
libus criticis ita docuit: quod ni-  
mirum impressio Lunæ, quæ su-  
per dies criticos fit, fit vehemen-  
tior, quando Luna est secundum  
dispositionem oppositionis ejus  
in qua fuit, deinde secundum  
quadracionem, hoc est, quando  
fuerit in quarto aspectu Solis, &  
hoc per divisionem revolutio-  
nis Lunæ ad medietatem, de-  
inde ad medietatem medietatis.  
Et sic Avicenna tetigit duos aspe-  
ctus Lunæ ad principium in quo  
fuit, qui ambo sunt aspectus ini-  
micitiaæ atq; inchoatum mor-  
bum, atq; ideò juvant naturam  
contra morbum.

*Primus* itaq; aspectus est Op-  
positio,

positio, ♀, quæ fit quando Luna motu suo devenit ad signum, quod in Zodiaco opponitur isti signo in quo morbus incepit; ut si inchoaverit morbus Luna existente in Ariete, oppositum signum est Libra.

*Zodiacus, qui à Latinis signifer appellatur, est circulus obliquus primi mobilis, & dividitur in 12. partes æquales, quarum characteres, numerum, nomina, ordinem, ac invicem oppositiones hic videre est.*

♈ 1. Aries.	♉ 2. Taur.	♊ 3. Gem.	♋ 4. Canc.	♌ 5. Leo.	♍ 6. Virg.
♎ 7. Libra.	♏ 8. Scorp.	♐ 9. Sag.	♑ 10. Cap.	♒ 11. Amph.	♓ 12. Pisces.

*Unumquodq; horum signorum 30. continetur gradibus, & Zodiacus totus 360. gradibus sive partibus æqualibus*

C 6 circ-

circuitur. Unusquisq<sup>3</sup> gradus secatur in 60. partes aequales, quae minuta sive scrupula prima nuncupantur, Unum quodq<sup>3</sup> minutum iterum in 60. partes aequales partitur, & vocantur secunda, sive scrupula secunda. Unumquodq<sup>3</sup> secundum pari modo dividitur in 60. portiones aequales, & vocantur partes tertia, sive scrupula tertia. Pari ratione unumquodq<sup>3</sup> tertium in 60. quarta dividitur: Unumquodq<sup>3</sup> quartum in 60. quinta: unumquodq<sup>3</sup> quintum in 60. sexta, sic deinceps.

Secundus aspectus vocatur aspectus quartus  $\square$ , & fit, quando Luna tria signa confecit, id est, 90. gradus Zodiaci à puncto seu signo in quo morbus incepit: ut cum fuerit  $\text{D}$  in  $\text{E}$  inchoante morbo, & pervenerit ad  $\text{=}$ , tunc perfecit quadraturam circuli signorum sive quartum aspectum, quod semper die 7, vel 8. contingit;

git; & hic minoris maliciæ cen-  
sebitur quàm oppositus.

Habet præterea & Luna ad-  
huc duos alios aspectus ad id in  
quo fuit in principio morbi, quo-  
rum unus vocatur Sextilis,  $\ast$ , &  
est quando Luna peragit sextam  
partem circuli, hoc est, duo si-  
gna, ut cum  $\text{D}$  fuerit in  $\text{V}$  & per-  
venerit ad  $\text{II}$ . dicitur esse in aspe-  
ctu  $\ast$  ad signum  $\text{V}$ . & aspectus  
amicitiæ imperfectæ, fit die 4.

Alter aspectus vocatur Tri-  
nus  $\Delta$ . quando Luna pergrave-  
rit tertiam partem circuli, hoc  
est, quatuor signa, ut si  $\text{D}$  fuerit in  
 $\text{V}$  & pervenerit ad  $\text{I}$  dicitur esse  
in aspectu  $\Delta$  ad signum  $\text{V}$ , & a-  
spectus perfectæ amicitiæ.

Nonnulli dicunt quod  $\text{D}$  per-  
agrans 12. signa Zodiaci à  $\odot$  re-  
cipiat octo varietates figurarum,  
quatuor nempe in suo ascensu

C 7                    versus

versus oriens, & quatuor in suo descensu versus occidentem; & hoc in parte qua illuminatur à Sole.

*Prima* est quando ☽ à ☉ distat 45. Gr. h. e. signum cum dimidio, quæ dicitur figura navicularis, quam recipit 4. die.

*Secunda* est quando ☽ à ☉ distat 90. Gr. h. e. tria signa, & dicitur quadrata, adveniens ei cum est media, quam recipit plerunq; die 7. unde hunc diem posuerunt criticum.

*Tertia* est cum ☽ à ☉ distat 136. Gr. h. e. 4. signa cum dimidio, & dicitur figura gibbosa quã recipit 11. die.

*Quarta* est cum ☽ à ☉ distat 180. Gr. h. e. per 6. signa, & dicitur figura plena, quam recipit 14. die: ob hoc 14. dicitur Criticus.

*Quintam figuram* quæ prima est descensus recipit die 17.

*Sextam*

*Sextam* sive secundam descensus plerunq; die 20. qui iterum criticus.

*Septimam* seu tertiam descensus die 24.

*Ultimam* die ☽ cum ☉ 27. qui ultimus criticus in mense.

Sed tamen hæc omnia secundum ☽ celeritatem ac tarditatem accipienda sunt.

Qui Ptolomæum sequuntur (monentem ut super ægrotis inspiciantur dies critici & figura 16. laterum, centiloq. verb. 60.) Zodiacum ac totum cœlum dividunt in 16. partes æquales sive angulos, & unicuilibet parti 22. Gr. 30. Min. attribuunt.

*Primum* autem angulum inter initium morbi & primum Indicativum appellant Intercidentem.

*Secundum* angulum primæ crisis



sis Indicativum, & est dimidius quadratus, continens Gr. 45.

*Tertium* angulum inter Indicativum & primam crisin rursus Intercidentem nominant.

*Quartus* autem angulus, qui & quadratus dicitur, secunda crisis est.

Ita igitur inter morbi initium & secundum criticum angulum Intercidentes duo, & unus Indicativus erit.

Atq; tot in unaquaq; reliquarum trium quartarum angulii numerantur, atq; ita 16. angulii conficiuntur.

